



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Imago Primi Saecvli Societatis Iesv

Bolland, Johannes

Antverpiae, 1640

Oratio Tertia. De nomine Iesv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97844](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97844)

Zach. 13. IESV, & ampliùs laua, vt sua vaticinio constet veritas: *In die illà erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatae.* Ecce apertæ terræ prima vitis; sectæ vitis prima vua; vua nouæ primum vinum: ô mi IESV, mi *Samaritane*, vulneri meo infunde vel guttam! Ecce tribus Iudæ electus hortus; vernantis horti oliua prima; recentis oliuæ oleum primum. *Oleum effusum nomen tuum*, mi IESV: applica vim nominis huius animæ meæ, eritque vulneribus persanandis perfecta medicina. Quid denique? Ecce tribunal, sed Iudicis rei; sed Domini serui; sed Dei *sanguinum sponsi*. Parce, ô Iudex, qui pro me reus es; parce, ô Domine, qui pro me seruus es; parce, ô Deus, qui mihi *sanguinum sponsus* es! O mi Iudex, sed simul misericordiarum pater! ô mi Domine, sed pariter dilectè frater! ô mi Deus, sed idem blandiens infans! Dicam ego, spe erectus ac plenus: Non verebor hoc forum, vbi Patris est iudicare; vbi Fratris est patrocinari; vbi Infantis est sententiam dicere. Dixi.

ORATIO TERTIA.

*De nomine IESV.*Vocabitur nomen eius Admirabilis. *Isaia 9.**IESVM in condendâ Societate admirabilem fuisse.*

QVæ precatus est olim à Deo immortalis Societatis nostræ conditor Ignatius, illo die quo Romanus Pontifex illam augustissimo IESV nomine insigniri voluit, vt ea res sibi Sociisque suis ac Reipublicæ Christianæ benè atque feliciter eueniret; eadem nos singulari Dei beneficio, longo temporum ac laborum iam confecto cursu, plenè cumulateque consecutos esse, meritò publicâ celebritate gratulamur. Quòd si enim illa solennis appellatio, Pontificis auctoritate consecrata, tantam habuit in se lætitiã, quantam nominis illius dignitas postulat: profectò cum iam peracti sæculi exordia progressusque cogitando repetimus, tantò maiori nos voluptate perfundi necesse est, quantò illustrioribus argumentis omnes diuini illius nominis in condendâ Societate numeros expletos intuemur. De quibus singulatim si loqui vellem, quis tandem esset orationi meæ modus? vnde principium caperem? aut vbi exitum inuenirem? Ego igitur, vt certos mihi fines terminosque constituam, istud breuiter nitar ostendere, IESVM in erigendâ propagandâque Societate, sui nominis admirabilitatem velut insigni posito monumento, orbi prodidisse. Verùm cum benè prudenterque admirandi vim ac naturam tenere, causæ meæ non mediocriter intersit, priùs intelligere necesse est, in quo vera admirationis sita sit ratio. Habent id quidem magnarum & inuolutarum rerum successus prosperi & inopinati, vt clamores & obstupescentium animorum varios & celeres motus in hominibus efficiant: verùm hoc euenit sæpiùs, vt plerique se iudicio multitudinis, quod in his rebus discernendis grauissi-

mum

mum esse non solet, circumueniri vgerique patiantur. Quid enim? armorum strepitu & tubarum sono populos late percellere, valere celeritate consilij, iter quocumque liberit hostium internecone sibi patefacere, disiunctissimas terras cursibus suis ac victoriis illustrare, an ego illud admiratione dignum appellem? Propius accedo. Nego ista esse admiranda, Respublicas iacentes erigere, dissipatas componere, examinatas recreare. Intrabo etiam magis. Nego eam satis iustam videri admirandi materiam, dæmones miserorum corporibus immerfos diuinâ vi expellere, cæcis ac surdis videndi audiendique reddere facultatem, mortuos ad vitam euocare, si in his rebus diuinæ gloriæ studium desideretur. Admirabilis est ille, qui æterna statuit virtutum suarum monumenta, posteris etiam ad exemplum salutemque profutura: illum omnes merito intuentur atque suspiciunt, qui cælestium armorum præsidio non Imperij, sed Religionis fines amplificat; qui non interfectorum millia numerat, sed seruatorum; qui nullum molitur excidium, nisi impietatis; nullos triumphos, nisi in cælum inuehentos. Si illo consilio salutis nostræ parens I E S V S hoc superiore sæculo Societatem nostram, velut generosam & ad quæuis certamina expeditam legionem, non militari tantum cingulo, sed etiam nomine suo donari ornarique voluit; si illam eduxit in solem ac puluerem præliorum; si illius laboribus dæmonum tyrannidem & flagitiosum illum triumphantum, è voluptatibus, auaritiâ, superbiâque concretum, grauissimè contudit; si furorem atque amentiam eorum hominum fregit, qui ex illo ganearum suarum nidore atque fumo prorumpentes, bellum omni scelere & odio imbutum contra aras & sacra omnia comparauerant; si Romanæ Religionis intulit signa ad sola terrarum vltimarum; num quid est causæ, quin I E S V M in illa condendâ Societate, quæ res tantas eius auspiciis egit, admirabilem nominemus? Atque hæc admirandi ratio magnas profectò ex eo capite vires accipit, quòd ad illum rerum grauissimarum cursum conficiendum Ignatium Loiolam elegerit. Cùm hominem nomino, satis mihi videor dicere. Eius enim vitæ rationem si inspexeris, in armis erat enutritus; si ingenij culturam, non humanis, non diuinis disciplinis instructus; si ætatis progressum, ad Latini sermonis ponenda rudimenta vix idoneus esse videbatur. Itaque post multa iam militiæ confecta stipendia, Grammaticæ studium aggreditur. Tunc denique? verumtamen aggreditur. Quo successu? dum primum per compendia vagatur, tantum abest vt progressus faciat, vt post diurnos labores, illi ætati vix tolerabiles, in ipsis adhuc principis consistat. Opinor, cùm decursa illi propemodum erit ætas, cùm exhaustæ vires, cùm sibi inutilis, tum de refutandâ hæreticorum insaniâ, de perditis ad frugem reuocandis, de impietate exterarum gentium abolendâ nequidquam cogitabit. Nam quis ex his tam obscuris desperatisque principis non intelligat illas tam arduas ab Ignatio de Religioso cœtu fundando conceptas spes infirmis & labantibus fundamentis nixas fuisse? Et tamen (ô rem admiratione dignissimam! ô arcana ac suspicienda æternæ Mentis consilia!) dum omnibus humanis præfidiis destituitur, dum voluntaria rerum omnium inopia meditato-

Admirabilis IESVS in condendâ Societate, quòd ab eâ tantum bonis

quòd à mihi inchoata,

qui studio serò est aggressus,

& pruden-
tium iudi-
cio fru-
stris

retardat conatus, dum victum ostiarum quotidie quaerit, dum inter pueros sedet auditor, dum ingenij sui experitur tarditatem; Antuerpiæ, vbi paupertati suæ subsidium quaerebat, Hispaniensem mercatorem, virum in primis opulentum, monere audet, grates vt agat Deo, à quo scilicet lectus sit, vt olim suâ in patriâ Societati IESV Collegium condat. Lubet hîc mihi plusculum ingenio meo concedere: lubet animum, lubet admirationem pascere. Quæro ex vobis, grauiissimi sanctissimiq̃ Patres, Basili, Augustine, Hieronyme, & prudentissimi tractandorum animorum artifices: Homo quispiam, scientiarum omnium rudis, & non nisi inter castrorum clamores lituorumq̃ cantus ad bellicam virtutem inanemq̃ gloriam educatus, militaribus studiis alto quodam animo nuntium remittit: à rebus humanis ad diuinas se transferre serò cogitat: neque in suam vnus tantum, sed in aliorum salutem toto pectore incumbere vehementer desiderat, paratus non valetudini, non labori, non vitæ parcere. Quid agat? quid moliat? quid est, quod hac tandem de re vobis possit videri? Profectò si rectè vestram integritatem atque prudentiam cognoui, non multum me fallit, si consulamini, quid sitis responsuri. Primum vitæ antea commissa expiare: deinde ad declinandas illecebras vitiorum in aliquo specu latitare: illic, si quidem tanto alienæ salutis desiderio teneatur, hac de causâ ieiunij & alijs asperitatum formis corpus atterere, in sacris precationibus horas complures quotidie ponere: aut certè, si hoc robore animi atque hac indole virtutis & continentie sit, vt sine contagione vllius turpitudinis ac sceleris in publicum egredi se posse confidat, facem omnibus ad omnem honestatem præferre. Dubitari vix potest, quin si audiat hominem id ætatis ad spinosas Grammaticorum præceptiunculas hauriendas sese conuertere, illic iudicaturus sitis, hæc ab illo studia conatu quidem magno, fructu verò minimo susceptum iri. Sed quid ego ita graues personas induxi? nimirum vt, si sanctissimi illi Patres hîc iudices sedeant, ego non perorando, sed rem simplici ac nudâ oratione proponendo conuincam, IESVM in molienda Societate prorsus admirabilem exstitisse. Quid enim? potueruntne vnus militis studia tam serò suscepta laceratas ac distractas pietatis atque doctrinæ reliquias colligere & instaurare? potuerunt incursionibus illæ hæreticorum atque impetus tam furentes ac violenti, vt omnes Reipublicæ Christianæ partes labefactandæ viderentur, eâ quam modò dixi imbecillitate sustineri? Enimuero, si quis ex altâ speculâ abhinc annos centum contemplatus fuisset, quanta flagitiorum ac deprauatarum opinionum labes totâ Europâ sese panderet, quàm impune pestilentissimorum hominum colluuijs florentissimas vastissimasq̃ regiones peruagaretur, quàm exiguæ ac propemodum nullæ agerentur aduersus illos perduelles multis in locis excubiæ: deinde si cogitationibus (quoniam agiles ac liberæ sunt) in Africam, in Asiam, in Americam se conuertisset, obseruassetq̃, quàm illic miserandum in modum prostratæ Religionis victrix impietas insultaret: postremum, si ad scholam illam retorsisset oculos, in quâ sub ludimagistro repuerascebat Ignatius, homo trium ac triginta annorum ætatis: hæc, inquam, omnia si ob oculos

los habuisset, vnuquãne existimasset fore, vt post adeò tristia & ab omni rectè viuendi ordine ac ratione aliena tempora repente sæculum hoc cælis gloriosum, terris optabile, hæreticis ac sceleratis formidandum, barbaris inopinatum, posteris stupendum, nobis ob recentem eius memoriam multò iucundissimum oriretur? Atqui tam sublimium rerum spem suã agendi ratione intercludere potius, quàm orbi inferre videbatur Ignatius. Cùm enim hîc & illic, vagabundi in morem, manum ad stipem porrigit, & subinde in aliorum salute procurandã insigni quidem charitate, sed quæ viris etiam grauissimis inconsulta videbatur, operam gnaviter locat, ab vrbium Præfectis in custodiam datur, quæstiones de eo habentur. Quid ad hæc Ignatius? gaudet hos pietatis suæ fructus sese carpere. Non, inquit, id defugio, neque in eo laboro: innocentia meæ tot in locis iniiciuntur vincula; iniiciantur fanè: volens illa complector. Quid igitur cogitas? an id cum animi tui decretis adeò præcelsis pugnare non vides? Quid? in neruo ac vinculis haberi, rapi ad tribunalia, in illo paupertatis squallore & nosocomiorum sordibus assiduè versari; sermonem aliis dare, odiosum omnibus fieri, hæc quò pertinent? Vt sanctioris vitæ & propositi socios tibi concilies? at, si id velles, auctoritatem tibi potius quodam splendore vitæ & commendatione famæ comparares. Vt CHRISTI causã nullo sis apud homines loco? at cuius nomen contemnitur, eius quoque monita haud magni putantur. Vt ægrotantibus consolationem aliquam adferas? at morborum contagia te prius conficient, quàm orbi tantoperè laboranti adesse possis. Multa, mihi crede, sunt eiusmodi, vt, etiamsi in homine priuato negligenda sint, tamen in eò qui se rebus gerendis admouere desiderat, omni ope declinanda videantur. Quæritur enim in priuatâ iniuriã, patientiæ laus; in publicâ, existimationis. Sed non dilatabo orationem meam: etenim posset esse infinita, si mihi libeat explicare, quàm præter sapientissimorum hominum spes atque iudicia Societatem suam IESVS è tenebris in apertum lucemque produxerit. Neque verò, quod admirandi causas incredibiliter exag-
gerat, illa circum incunabula sua magno nisu complures annos ex-
traxit: quemadmodum olim Romanos accepimus per annos ferè tre-
centos circum ipsam matrem suam cum finitimis fuisse luctatos. Vix-
dum orta diem viderat, cum ad Dei gloriam salutemque terrarum labo-
res suos non angustioribus quàm totius orbis regionibus definiuit.

quique se
abiecitum
apud om-
nes redde-
bat:

denique
quòd ea
breui tem-
pore fue-
rit toto
orbe pro-
pagata.

Quippe ab Oriente penetrauit trans Indum & Gangem ad Sinas & Iapones: ab Occidente cursum instituit trans immensam illam Oceani interfusi vastitatem, quã nouus Orbis à nostro dirimitur: omnes sinus, promontoria, littora, insulas, vrbes nouã & illustri Christianæ Religionis famã compleuit: in aciem & dimicationem cum hostibus venit: vicit: victos legem iussit accipere: maximaque victoriæ merces fuit, templa Deorum simulacris exinanire, æterno Numini aras erigere, cæli municipia & colonias fundare. Non fuit profectò, quòd fortissimum illum Hebræorum Ducem Iosue imitatus Ignatius, solem iuberet ad conficiendam victoriam stare. Quà sol surgebat, & quã labebatur, parem ferè ac perpetuum nobilissimarum victoriarum cursum

intendebat. Ita nimirum postquam se ipse vicerat, sperare victoriam orbis potuit. Bucephalum, equum illum ob ferociam toruitatemque vultus & naturæ durum atque intractabilem, ad frena sefforemque patientium adegerat Alexander. Restitit ad id Philippus rei nouitate recreatus, eumque ex equo desilientem paternè complexus; Macte, inquit, fili, hac fortitudinis gloriâ, & Regnum, quod istud animi tui inuictum robur æquare possit, armis quare: nam Macedonia mea te non capit. Itâne est? Equum insolentem Alexander domuit: continuone causa fuit, cur à parente audiret, vt ad nouas prouincias, quasi eximium præmium fortitudini debitum, conuolaret? Non opinor. At ex quo indomitas deprauatæ naturæ cupiditates tantâ animi præstantiâ Ignatius refrenauit, meritò Iesvs illum his identidem vocibus ad res omnium maximas incitasse creditur: Roma, Ignati, & Italia tota tuo minor est animo: Europa ipsa te non capit: noua Regna, nouus Orbis quærendus, vbi Religionis trophæa statuuntur. Tibi Hispanorum, tibi Lusitanorum Regum numerosissimæ classes nuperrimè seruiert, vt amplissima tuæ tuorumque virtuti explicandæ spatia aperirent. Quas IESV Optimi Maximique Regis voces cum audimus, & iam tam inopinatis rerum maximatum successibus cumulas videmus; quid agimus? quid sentimus? possumus admirationem ipsi nostram continere? possumus res tantas sermone velle complecti, in quibus disertissimi Oratores omnes vires, neruos, opes, ornamenta, lumina, suauitates, flores, illecebras orationis suæ abforberi fateantur? Equidem verendum mihi non est, ne non videar ad illustrandam IESV gloriam appositè perorasse, si (quod in diuinis rebus fieri solet) indictio mihi silentio tantarum rerum magnitudinem fuero veneratus.

*Orationibus de augustissimo IESV Nomine visum est
Inscriptionem subiungere, non tam ari quàm posterorum memoria imprimendam.*

REGI

REGI REGVM
DOMINO DOMINANTIVM
PRINCIPI REGVM TERRÆ
IESV CHRISTO:

SVB CVIVS AVGVSTISSIMI NOMINIS TRIVMPHALI SIGNO
NATA, CONFIRMATA,
IN CAMPVM EDVCTA
CONTRA TETERRIMOS RELIGIONIS HOSTES

SOCIETAS
ANNVM IAM CENTESIMVM
IGNATIO DVCE

VITAM PRO DIVINI CVLTVS INCREMENTO PACISCENS,
INQVEROMANI PONTIFICIS VERBA IVRANS,
AD TVENDAM SALVTEM MORTALIVM

Greg.
XV. in
Resp.
ad re-
lation.

DEO ET ECCLESIAE
TERRA ET MARI

NON SINE SVDORE ET SANGVINE
SOLO MAIORIS DEI GLORIAE STIPENDIO
MILITAVIT.

CVIVS

SAPIENTIAE CONDITAM
BONITATI PRODVCTAM
POTENTIAE CONSERVATAM

SOCIETATEM

REFERRE NOS VOLENTES LVBENTESQVE PROFITEMVR.

QVO

Q V O

ETIAMNVM ROMÆ ET VBIQVE PROPITIO,
 INTER OBLOQVENTIVM CALVMNIAS,
 INTER INSIDIAS HOSTIVM,
 INTER TORMENTA CARNIFICVM,
 RVINAS INTER PVBLICAS
 ERECTI STAMVS.

C V I V S

NOMINI DEBEMVS, VIRTVTI TRIBVIMVS,
 GLORIÆ CONSECRAMVS,
 QVOD IN OMNIBVS

* 2. Cor. 4.
 secundum
 lectionem
 Ambrosij,
 Theoph.
 Caiet &c.

*PREMIMVR, SED NON OPPRIMIMVR,
 PERSECVTIONEM PATIMVR, SED NON DERELINQVIMVR;
 DEIICIMVR, SED NON PERIMVS,
 SEMPER MORTIFICATIONEM IESV IN CORPORE NOSTRO
 CIRCVMFERENTES.

ILLI NOMINI, ILLI NVMINI,

C V I V S

AD VERITATEM SPLENDOR ILLVMINAT,
 AD VIRTVTEM RVBOR INFLAMMAT,
 PATERNIS IGNATII LEGIBVS
 DEVOTA ET CONSECRATA SOCIETAS
 FVLGOREM NON AFFECTAT ALIENVM,
 IESV SVI RADIIS SAT ILLVSTRIS,
 NEC PALLESCIT AD SVSPICIONEM MORTIS ET VVLNERVM,
 MEMOR ETIAM HVNC VICISSE POST SANGVINEM.

ORA-